Quelle: https://manuscripta.at/?ID=40644
Copyright: Melk, Benediktinerstift

secundus munere benedictionis et absolutionis post mortem condonato. talia tanta tam preclara sanctitatem omnia spectancia de eo predicauit exempla. quibus non solum persuadere nobis possimus imo credere cogamur innocentem secundum nonnisi pro sancto leopoldum habuisse. Restat vt sacratissime vite post iam memorata non leue testimonium adducam. magna quidem res est. que solum in cathalogum sanctorum scribere compellit. animaduerte obsecro pater sancte. hec enim silencio preteriunda non sunt. cum sint incitamentum sint ceteris ad bene beateque viuendum. labor enim fastidium afferre non debet quando laudabile et certum expectatur premium. ozanis eterna gloria dari non potest. et quidem rebus supernaturalibus se asserit. De miraculis loquor et precipue leopoldi vt annalibus germanorum late et copiose narratur. Referre non piget vt que illic latent. nobis aperta et velut ante oculos posita conspici et intueri possint. Et in eorum monumentis seruata hec leguntur ::

Mulier quedam carinthia immundo vexata spiritu. leopoldi ope liberatur. Puer mutus nouem annis ex herzogemburga vocalis fit. Alius contracto manibus et pedibus qualiter. presbiter herbipolensis ceca. relictis tenebris diem vidit. Puer icta fulmine reuixit. Altera lapillo obcecata leopoldi tumulo porrectis precibus recuperat visum. Puer arigra laborans et officio manuum penitus carens. eiusdem ope salutem recepit. Sic et mulier podagra vno pede. et alter duobus eiusdem ope liberi fiunt. Quesque quidam gutture tumefacto ossibus crescentibus ita eius miraculo liberatur. vt sine cicatrice vel alio signo liber factus fuerit. Alia mulier ere alieno grauis cum a creditoribus uehementissime vrgeretur. destituta soluendi spe leopoldi tumulum adiit. ibique non sine magno dolore ingemuit. numini se commendans. audite fuerit preces. et vox auribus quiescentis intonuit vt domum reperiret. et scrinium aperiret. quo inuentura erat satisfactionis debiti cedulas. quod vbi inuenit. domos creditorum qui et cristiani et iudei erant petiit. vt cartas obligationis redderet. qui responderunt se dedisse eundem vestibus celestibus induto. qui et debita soluerit. tunc statim exhilarata mulier. apertissime intellexit leopoldum fuisse. a quo mortales plurima